




*Con. 10.*





EXPOSITIO IVRIVM  
SACRAE MAIESTATIS  
**REGIS BORVSSIAE**  
IN DVCATVM  
**POMERELLIAE**  
ET COMPLVRES ALIOS TRACTVS  
**REGNI POLONIAE.**  
CVM DOCUMENTIS.



---

BEROLINI,  
LITTERIS GEORGII IACOBI DECKERI, TYPOGRAPHI REGII.  
MDCCCLXXII.

THEATRUM  
SACRAE THEATRATIS  
REGIS HORAZIVI  
IN VENETIA  
A DILECTISSIMA  
EDITIONE  
EX CAVENDISH LIBRARIES  
PRINTED FOR THE AUTHOR  
BY J. DODS, 1716.



Neminem Historiaæ antiquæ Septentrionis mediocriter gnarum fugere potest, Coronam Poloniæ complures easque amplissimas possidere provincias, quæ secundum primam earum originem, ad Domum Electoralem Brandenburgicam jure pertinere debebant, quasque Serenissima hæc Domus qualibet data occasione et tempore opportuno, propitio jure vindicare potest. Huc pertinet

I) *Pomerellia*, Poloniæ Palatinatus inter fluvios Vistulam et Noteczam sive Netzam, mare Balticum et Pomeraniam Brandenburgicam situs. A primis retro temporibus, in quibus possessio provinciarum et regionum in Europa hæreditaria esse cœpit, Ducatus hic erat patrimonium Ducum Slaviae et Pomeraniæ, in quorum extinctorum Jura, ut cuilibet constat, Eleciores Brandenburgici successerunt. Primo statim intuitu injustitia, qua Poloniæ Dominatores priscis Pomeraniæ Ducibus eripuerunt Pomerelliam

relliam, sibique arrogarunt, in oculos uniuscujusque incurrit, qui succinctam hujus regionis historiam, quam inde a prima origine hic repetemus, tenet.

Notissimum est, eo tempore, quo Gothi, Vandali, Franci, Angli, Longobardi et tot aliae gentes Germanicæ, quæ imperium Romanum everterunt, ac fere omnes recentiores Europæ Monarchias fundarunt, sedes suas antiquas, nimurum littora maris Balthici, Vistulæ, Viadri et Albis reliquerunt, Nationem Sarmaticam Slavorum et Venedorum regiones has desertas occupasse, et magnum intra Albim et Vistulam condidisse regnum, in plures Dynastias divisum, quarum præcipua fuit, quæ Pomeraniam hodiernam, Pomerelliam, Novam Marchiam et Marchiam Vkeranam continebat. Supremi regionis hujus Domini, Principes nemini subiecti, viribus potentiaque usque adco pollabant, ut a scriptoribus historiae Septentrionalis antiquis <sup>1)</sup> *Kongur of Vindlandi*, Reges Venedorum appellarentur. Hac ratione Mistevoius et Burislaus, vel Bogislaus, Venedorum Reges in historia sæculi decimi claruere. Neque tamen certa et non interrupta Ducum Pomeraniae series genealogica, nisi a Suantiboro I. anno 1107. mortuo, incipit, quatuor filiorum patre, quorum duo duarum primariarum Ducum Pomeraniae stirpium fundatores fuerunt. A Wratislao I., qui Ottonis Episcopi Bambergensis cura religionem Christianam primus amplexus est, exorditur stirps

Ducum

<sup>1)</sup> *Helmoldus, Snorro Sturleson, Oddo, Torfæus, Schwartz* in Historia feudali Pomeraniae.

¤ \* ¤

Ducum Pomeraniae, Slaviae et Cassubiae, qui sedem suam  
mox Stettini, mox Wolgasti, Demmini aut alibi fixerunt,  
quique totum illum terrarum tractum possederunt a finibus  
Megapolitanis usque ad amnem Grabovam, haud procul  
ab urbe Slage fluentem, quae regio tunc Slavia et Cassu-  
bia nominabatur, ac deinceps cum hac tractum intra  
fluvios Grabovam et Lebam situm conjunixerunt, una  
cum titulo Ducum Pomeraniae, Ducum hujus nomi-  
nis, qui Gedani domicilium habuerunt, linea exstincta.<sup>2)</sup>  
Prima haec linea saepius divisa iterumque unita, duravit us-  
que ad Bogislaum XIV. ultimum Ducem Pomeraniae, quo  
fine haeredibus masculis anno 1637. exstincto, totius Po-  
meraniae successio ad Domum Electoralem Brandenburgi-  
cam, vi pactorum antiquorum inter utramque domum ini-  
torum transiit. Bogislaus I., Suantibori I. filius secundo  
genitus, fundavit lineam Ducum Pomerelliae, qui terras in-  
tra Grabovam, Vistulam et Noteczam<sup>3)</sup> fitas, vel Pome-

A 3 raniam

<sup>2)</sup> Qui de veritate omnium harum  
circumstantiarum convinci cupit, Codicem Diplomaticum Pomeraniae defun-  
cto de Dreyer editio evolat, cuius Tomus primus, Diplomata usque ad annum  
1269. continens, impressus est, reliqui  
Tomi vero haec tenus inediti supersunt.  
Hac Collectio ex Archivis Ducum et  
Monasteriorum Pomeraniae, nec non ex  
Archivis Brandenburgicis et Prussicis de-  
fumpta, plenam omnino meretur fidem.

<sup>3)</sup> Hac possefio itidem demonstra-  
tur ex Codice jam adducto Diploma-  
tico Pomeraniae. Limites Pomerelliae,

antiquorum Ducum tempore, multo  
ampiores erant, quam hodie, et ad  
Noteczam usque extendebantur. Tefles  
sunt non modo Historici Pomeranici,  
*Micraelius*, Lib. 2. §. 67, sed ex eo etiam  
pater, quod dicti Duces Vrbes Nakel  
et Czernikow ad ripam Netze fluvii  
fitas, per longum temporis spatium  
possederunt, atque contra Polonus tu-  
ti sunt, *Micraelius, Roguphalus et Baet-  
ko in Sommersbergii Collectione Tom. I.*  
p. 61. 67. 68. Due scriptores ultimo  
loco nominati Historici sunt Poloni  
facili decimi tertii.

raniam proprie dictam tenuerunt,<sup>4)</sup> ac in urbe Gedano,  
seu Dantisco sedem suam habuerunt. Hæc linea serie non  
interrupta per Subislauum I.<sup>5)</sup> Mestvinum I. et Suantopol-

cum

<sup>4)</sup> Codicem Diplomaticum Pomeraniae perlustratus deprehendet, Dukes Stettinenses sub finem seculi duodecimi, ubi charta Pomerania incipiunt, et ab initio seculi decimi tertii, in Diplomaticis suis mox, titulo *Ducum Slavie*, mox *Pomeraniae*, mox utroque, circa finem vero seculi decimi tertii plerunque titulo *Ducum Slavie* et *Cassubiae* usos esse, illique interdum at rarius *Ducis Pomeraniae* titulum ad junxisse; sed exincta linea Gedanensi, imprimis ab anno 1316. et postquam regionem inter Grabovam et Lebam acquisiverant, titulus *Slaviae* et *Cassubiae* illum Pomeraniae semper junxisse, qui titulus principalis et totius Ducatus demum factus est. E contrario vero Duces Gedanenses, possesseores territorii Grabovam inter et Vistulam sita, ferre semper Duces *Pomeraniae*, aliquando etiam *totius Pomeraniae*, se nominabant. Ha observationes unitæ id quod supra in textu afferitur, idque præcipue probant: regionem inter Megapolin et Grabovam sitam proprie fuisse *Slaviam* et *Cassubiam*, illam autem a Grabova usque ad Vistulam constitutissimam Pomeranianam: porro Duces *Slaviae* vel *Stertiniens* jus indubium in territorium *Ducum Gedanensem*, seu *Pomeraniae* habuisse, quod indicarunt, quandoquidem titulo *Pomeraniae* linea Geda-

nensi adhuc existente sapius utebantur, eaque exincta et post reliquarum possessionum partis acquisitionem, perpetuo sibi eum appropriaverunt. Altera successionis Duxum Gedanensem pars, quam Equites Teutonici, et postea Reges Poloniz usurparunt, etiam nomen *Pomeraniae* in Actis publicis ad nostra usque tempora retinuit, in vita autem communis et abusive appellatur *Pomerelia* vel *Pomerania parva*, quæ quidem denominatio hoc loco retinenda est, ut eam a Pomerania, quam Domus Brandenburgica dudum posset, distinguamus.


Nomen *Slavorum* generale nomen erat totius Nationis Venedæ, cuius partem confitebant Pomerani, illudque Germani interpretantur per vocem *Wenden*. Hinc Supremi Pomeraniae Domini, qui in chartis latinis nominantur Duxes *Slavorum* et *Slaviae*, in chartis germanicis titulo *Ducum Venedorum* insigniuntur, *Hertzoge von Wenden*; quæ observatio facit ad disputationem de origine tituli Venedorum, qui inter Titulos Domus Brandenburgicae occurrit, decadendam.

<sup>5)</sup> Fundator hic sicut celeberrimus Abbatia Olivensis, haud procul Gedano sita, ubi adhuc hodie monumenta et mausolea Duxum Pomeraniae hujus linea conspicuntur. Schützii Historia Prussiae.

cum propagata est usque ad Mestvinum II. anno 1295.  
sine heredibus masculis mortuum, non nisi filiabus relictis.  
Exstincta secunda hac Ducum Pomeraniae linea, successio  
eorum, adeoque Pomerelliae possessio, sine dubio Ducibus  
Slaviae et Pomeraniae linea Stettinensis, ut proximis agna-  
tis et hæredibus collateralibus Pomerelliae Duci ultimi com-  
petebat, quod quidem, ne filum historiæ interrumpamus,  
pluribus infra docebitur. Verum enim vero ea artibus,  
et majori potentia Primislai II. Duci Poloniæ excludeban-  
tur, quippe qui tum ob propinquitatem Mestvini ex par-  
te fœminea, tum propter similitudinem linguae et morum  
Nobilitati Venedæ in Pomerellia gravior, quam Duces Stet-  
tinenses ad mores Germaniae magis compositi, Mest-  
vino II. adhuc viventi successor designabatur. Post Mestvi-  
ni II. mortem, quæ in annum 1295. incidit, Primislauus  
occupabat totam Pomerelliæ, cuius acquisitio ei occasio-  
nem præbuit titulum Regis Poloniæ assumendi, cum hucus-  
que titulo Duci tantum usus esset. Trucidabatur vero anno 1296. a competitoribus suis Marchionibus Brandenburgi-  
cisis. Successores ejus in throno Polonico, Vladislaus Lothi-  
eus et Wenceslaus, Pomerelliæ quidem ad tempus itidem  
usurparunt; sed ejecti inde fuerunt post annum 1306. tam  
per Marchiones Brandenburgicos, quam per Ordinem Teu-  
tonicum. Hæc momenta digressionem quamdam exigere vi-  
dentur. Marchiones Brandenburgici, qui abhinc a prima Slav-  
iæ cum Imperio Romano-Germanico coniunctione, <sup>\*)</sup>

circa

<sup>\*)</sup> vid. Helmoldi Chronicon Slavorum L. I. c. 65.



circa annum 1181. facta, per Imperatores Domini Directi Ducum Slaviae et Pomeraniae constituti, et qua tales<sup>7)</sup>

ab

7) Haec veritas ab Historicis Pomeranicis vehementer impugnata, jam evicta est per Diplomata Investitura, ab Imperatoribus Friderico II. et Adolpho Nassovico anno 1231. et 1295. Marchionibus Brandenburgicis concessa, quorum authenticia in Tabulario Berolinensi servantur. a) Imperatores in his litteris expressis verbis confirmant Marchionibus Brandenburgicis feudum Ducatus Pomeraniae, quod praedecessores eorum ab Imperatoribus obtinuerant, et notatu omnino dignum est, Regem Adolphum anno 1295. qui ultimi Ducum Pomerelliae emortualis fuit, id fecisse. Vi hujs Domini Directi in Pomeraniam, Marchiones ibi confirmaverunt privilegia civitatum et monasteriorum illius provinciarum et transactiones potiores, quae ibi pangebantur. b) Agnoverant etiam hoc vasallagium Duxes Pomeraniae viriusque linea, nominatim Barnimus I. Dux Stettinensis anno 1250. c) et Mestvinus II. Dux Pomerelliae anno 1269 et 1273. per transactiones maxime sollemnes. d) At enim vero,

a) Accuratum ejus apographum habes inter Documenta probantia hujus Expositionis sub nro. I.

b) vid. Codicem Diplomaticum Pomeraniae T. I. p. 244. 387. 544.

c) Ibid. p. 324. 335.

d) Ibid. p. 546. vid. Cod. Diplom. Brandenburgicum per Gerkenium editum T. I. p. 208. 210. 249.

quum Duces Pomeraniae hoc jugum molestie ferrent, quo se Marchionibus Brandenburgicis subordinatos cernebant, hoc Dominium Directum in ius successioni postea per pacta mutabatur. Famosam quastionem, quae tot bellorum per duo integra facula ansa et velut mater fuit, et quam nonnulli sine necessitate de novo movent, multis verbis hic excutere nolumus; sufficiat id, quod praecipuum est, allegasse, quo probetur justa inducitio, quod neque Ducibus neque Statibus Pomerellia in praeciducium Dominorum Directorum, Marchionum Brandenburgicorum, hanc Provinciam Polonis concedere fas fuerit. Imperatores constituerant Marchiones Brandenburgicos Dominos Directos Slaviae, ut Principes Venetos, noviter subjugatos et a centro Imperii nimis remotos, rectius continerent. Marchiones Brandenburgici, quatuor magnis Germaniae Ducibus, nempe Saxonia, Bavaria, Suevia et Francia, sere ab initio pares fuere, et durante saeculo duodecimo et decimo tertio in omnibus bellis et eventibus Septentrionis, si non majori, pari certe cum Regibus vicini auctoritate res suas agebant. Sic Waldemarus Marchio Brandenburgicus eodem tempore cum omnibus Principibus Borealis, bella feliciter gessit, tantunque virium suarum robur ipsi conspicendum dedit, ut Reges Suevia, Dania, Norvegia, Polonia et Hungaria-

ab his Ducibus agniti erant, post mortem Mestvini II. confessionem Pomerelliae, tanquam feudi vacantis ad se devoluti, repecebant, qua de causa bellum etiam Regi Poloniae Primislao II. inferebant, eumque anno 1296. occidebant. Sed post annum 1306. demum eis contigit, ut, Gedano urbe excepta, Poloni ex maxima Pomerelliae parte expellerentur, et hac quoque egregia acquisitione tam parum gavisi sunt Marchiones, ut eam brevi temporis spatio interjecto Ordini Teutonico cederent. Hi Equites, per Saladinum Palæstina expulsi, sedem suam in Germania et deinceps in Prussia collocaverant, quo Duces Masoviae ad auxilium sibi adversus Prussos adhuc paganos ferendum eos vocaverant. Quum saeculo decimo tertio totam Prussiam sub jugum misissent, mox cupidus eos incessit vicinas regiones, in primis autem Pomeraniam acquirendi. Ratiborus et Samborus, filii natu minores ex familia Ducum Pomerelliae, Ordini Teutonico se addixerant, eique hereditatem suam legaverant, ideoque Mestvinus II. Ordini anno 1282. civitatem et territorium Meve cedere coactus fuit.<sup>8)</sup> Post obitum Mestvini II. Equites Teutonici Polonis contra Marchiones Brandenburgicos open ferebant, mox tamen Gedano civitate, ad quam tuendam admissi erant, praesidia Polonorum expulerunt, et quo sibi fortius

ria, Dukes of Pomerania, Megapolitani rius Huitfeld in Historia Daniæ publica Princeps et primaria civitates cavit, patet.

fœdus adversus ipsum sancient, id quod ex Literis Unionis horum Principum de anno 1315., quas Cancellaria Codex Diplomaticus Poloniae P. Cipriani de anno 1315., quas Cancellaria Degiel T. 4. p. 31. 32.

B



fortius et firmius in Pomerelliam jus adquirerent, cum Waldemaro Marchione Brandenburgensi, pacto anno 1311. inito, hisce conditionibus transigebant, ut is pretio Decem Millium Marcarum Argenti et pro participatione bonorum operum Ordinis, illis permagnam partem Pomerelliae, videlicet civitates Gedanum, Dirschau et Suecz.<sup>9)</sup> cum suis territoriis venderet, ipse vero districtum Leoburgensem, Stolpensem et Slavensem, vel regionem intra fluvios Lebam et Grabovam sitam, retineret.<sup>10)</sup> Quum Ordo Teutonicus potiorem Pomerelliæ partem hac ratione in suam potestatem redigisset, reliquam etiam pari modo adquirere studebat, nimirum cessione Regum Bohemiae, qui Coronam Poloniae sibi competere venditabant, et emitione prædiorum nobilium. Reges Poloniae satis diu cum illis de hac nec non de Culmenſi et Michelaviensi provincia discerptabant, quas a Polonia avulſas esse contendebant; hinc bella illa cruenta orta sunt, quæ mox incepta mox finita ultra ſeculi ſpatium duraverunt. Diu et tam fortiter refiti Equites, ut Reges Poloniae non ſolum poſſeffione, ſed etiam titulo Pomerelliæ per multa pacis fœdera, ex quibus illa de anno 1343. et 1436. pacis æternæ nomine inſignita, præcipue memorabilia ſunt, cedere cogerentur. Quum autem tota pene Prussia inſtantibus Polonis, quibus æterna

<sup>9)</sup> Cod. Diplom. Poloniae T. 4. meraniz, nec non magnum numerum p. 39. Codices Diplomatici Prussicæ Chartarum, quas Waldemarus poſt et Pomeraniz manuſcripti.

<sup>10)</sup> vid. Conventionem limitinem in torio expediri iuſſit.  
 anni 1313. in Codice Diplomatico Po-

eterna pax nec cordi nec diu in mente erat, ab Ordine  
anno 1453. deficeret, bellum inde Ordini exitiosissimum  
oriebatur, quod pace Thoruniensi anno 1466. facta fini-  
tum, ad cuius tenorem Ordo Teutonicus Regi Poloniae  
Casimiro Mariæburgensem, Culmensem, Michaloviensem  
et Pomerellia Tractus tradere cogebatur, nihil pro se sub-  
titulo feudi Polonici, nisi eam Prussia partem servans, quam  
postea per pacem anno 1525. inter Regem Sigismundum  
et ultimum Ordinis Magistrum Generalem Albertum Mar-  
chionem initam, Domus Brandenburgica obtinuit, et ad-  
huc possidet. Ex eo tempore Polonia Reges supradictos  
Tractus possederunt, exque illis Palatinatus formarunt,  
qui nomine Palatinatum Mariæburgensis, Culensis et  
Pomerellie veniunt, uti tota ista provincia Prussia Poloni-  
ca vocatur.

Hæc est Historiæ Pomerelliae epitome, quam quilibet rerum peritus veritati maxime conguam et fide Historico-rum probatissimorum, Diplomatum et monumentorum authenticorum, quæ unice viam nobis in Historia mediævi tenebris admodum involuta monstrare debent, sufful-tam deprehendet.<sup>11)</sup> Sufficere quidem ea poterat, ac

B 2 omnes

<sup>xx</sup>) Quodlibet horum assertorum allegatis muniri posset, ne autem nimis prolixii simus, sufficiat indicasse, brevem hanc narrationem quatuor Codicibus Diplomaticis seu Collectionibus Diplomatico Poloniae, Prussiae, Pomeraniae et Brandenburgi, Chronico Prussiae Schützio ad fidem Tabularii Gedanensis edito, Chronico Olivensi, nec non Historicus Pomeranicus Klempzen, Kantow, Mieralio et Schwartzio, quorum postfemus perquam accurate scripsit, et historiam suam probationibus et documentis necessariis instruxit, sufficiam esse.



omnes, qui nullo partium studio tenentur, de injustitia  
convincendos, qua Equites Teutonici et postea Reges Po-  
loniae in præjudicium Ducum Pomeraniae Pomerelliam usur-  
parunt; nonnullas tamen observationes et argumenta ad  
stabilendam hanc assertiōnē maxime idonea adjiciemus, ut  
omne penitus dubium tollatur. Sub initium repetimus, cum  
Mestvinus II. Dux Pomeraniae Linea Gedanensis anno 1295.  
sine prole mascula obiisset, Duces Slaviæ et Pomeraniae  
Bogislaum et Ottonem, quorum alter Stettini, alter Wolgasti  
vivebat, proximos ejus fuisse consanguineos et collaterales,  
quippe ex communi cum Mestvino stirpe, nempe Suanti-  
boro I. oriundos. <sup>12)</sup> Secundum legem Naturæ igitur et  
ordi-

<sup>12)</sup> Adjuncta tabula genealogica Ducum Pomerellia intelligendum ad-  
multam lucis ad ordinem successionis feret.

*Svantiborus I. Dux Pomeraniae et Slaviae † 1107.*

<i>Wartislaus I. Dux Slaviae</i>	<i>Bogislaus I. Dux Pomerellie † 1150.</i>	<i>Vladislans</i>
<i>† 1136.</i>		<i>Dux Poloniæ.</i>
<i>Bogislaus I. † 1187.</i>	<i>Subislaus † 1150.</i>	
		<i>Primislans I.</i>
<i>Bogislaus II. † 1222.</i>	<i>Mestvinus I. † 1220. Filia n. Barnimo I. Du- ci Slaviae.</i>	<i>Dux et postea Rex Poloniæ.</i>
<i>Barnim I. † 1278.</i>	<i>Svantopelcus. Samborns. Ratiborus. Helena.</i>	
	<i>† 1266.</i>	<i>† 1296.</i>
<i>Bogislaus III. Otto I.</i>		
<i>D. Wolgast. D. Stettin.</i>		
<i>† 1309. † 1345.</i>	<i>Mestvinus II. postremus Dux Pomerellie. † 1295. ablique prole matcula.</i>	
<i>Wartislaus IV. † 1326.</i>	<i>Filiæ.</i>	
<i>a quo descendunt omnes frequentes Duces Pomer- aniae, usque ad postremum Ducem Bogislaum XIV. † 1637.</i>		

Hæc tabula genealogica, quæ a du-  
bus retro seculis in tabulariis Stettini  
et Berolini superest, professione Mest-  
vini II. nititur, fide multorum Diplo-  
matum et unanimi Historicorum Po-  
meraniae testimonio, quorum plures,  
scilicet Klemzen, Kantzow et Eickstaedt  
ad seculum decimum sextum perti-  
nent, et fidem Archivi Pomeranicæ fe-  
quantur.

ordinem successionis feudalitatem stabilitum, et in plerisque Principatibus, speciatim in Ducatu Pomeraniae receptum, hi succedere, adeoque alium quemcunque ex latere fœminarum aut ex alio capite competitorem excludere debebant. De hac cognatione et de hoc succedendi ordine eo tempore usque adeo plane non dubitabatur, ut potius postremus Pomerelliae Dux Mestvinus II. eam sollemini pacto anno 1264. agnoverit et roboraverit, in quo Barnimum I. Ducem Stettinensem *Consanguineum*, i. e. ex eodem sanguine ortum vocat, illique confirmat post mortem suam successionem, non solum in territorium Sueczense, quod tunc ejus apanagium erat, sed etiam in universa reliqua dominia, quæ ad ipsum devolvi debebant post obitum patris sui Ducis Svantopolci, qui adhuc regnabat, nec non fratribus suorum, consequenter totius Pomerelliae, ejusdem terræ possessionem solum, quoad viveret, sibi reservans.<sup>13)</sup> Ordines etiam Pomerelliae provinciales de jure successionis eventualis Ducum Stettinensium ita certi erant, ut plurimi illorum, speciatim Monasteria Olivense, Sarnowitzense et Buccoviense in territorio Ducis Mestvini sita, eo adhuc vivente et consentiente, et in anteceßum sibi privilegia sua et suas possessiones a Ducibus Stettinensis confirmari peterent, qui in his ipsis chartis Ducem

B 3 Mest-

<sup>13)</sup> Hæc Charta, quæ in Codice cumenta probantia sub Num. II. Mest-Diplomatico Pomeraniae Tomo I. vonus ibi appellatur Dux *Suezensis* a p. 477. exstat, tanti momenti est, ut loco appanagii sui, quoniam pater ejus digna videatur, quæ in fine hujus Ex-Suantopolcus Dux Pomerelliae adhuc in positionis integra inferatur, inter Do-vivis erat.



Mestvinum pariter *Cognatum suum* nominant, id quod denuo consanguinitatem ipsorum involvit, quemadmodum confirmatio possessionum monasteriorum in territorio Ducis Mestvini sitorum superflua, sine ullo effectu nec ab hoc Principe approbata fuisset, nisi ipse ac ordines provinciales territorii sui, Duces Stettinenses veluti successores suos legitimos eventuales jam respexissent.<sup>14)</sup> Hi igitur Dukes duplex in Pomerelliam succedendi jus habebant, alterum sanguinis, alterum conventionis cum Melvino II. factæ, ex providentia majorum et ex pacto; quod sibi quoque conservare et in anteceßum stabilire studebant, siquidem viventibus adhuc Ducibus Pomerelliae, Ducum Pomeraniae titulo sæpius utebantur.<sup>15)</sup> Non obstantibus tam gravibus momentis, Duces Stettinenses a Polonis, successione Mestvini II. excludebantur, licet veras hujus rei circumstantias propter longinquitatem temporis et Diplomatum atque scriptorum coævorum defectum ignoremus. Historici Pomeranici narrant:<sup>16)</sup> Mestvinum II. cum se mascula prole destitutum videret, aliquot ante obitum annis Nobiles Pomerelliae convocasse, ut successorem sibi designarent, eisque Consanguineos suos Dukes Stettinenses admundum commendasse; hos vero Nobiles plane adhuc Vendos, et a Suenzono Palatino, in gratiam Ducis Poloniae corruptos

<sup>14)</sup> vide Chartas annorum 1266.

et 1268. in Cod. Dipl. Pomeranie

T. I. p. 501. 512, et 532. et impre-

mis illam de 1291. inter documenta

Kantow et alii.

<sup>15)</sup> vide supra notam quartam.

<sup>16)</sup> Micraelius p. 185. Eickstaede,

probantia sub Num. III. reperiundata.

❧ ♦ ♦ ♦

ruptos declarasse: se a Principe Polono eandem linguam  
eosdemque mores habente regi malle, quam a Principibus,  
qui sicuti Duces Stettinenses Germanicam linguam et mo-  
res adoptassent, gentilesque suos Venedos ejecissent, aut  
opprexisserent, et sic memoratos Nobiles Ducem Poloniae  
Primislauum II. futurum Dominum Supremum elegisse, ac  
Mestvinum ex imbecillitate mentis in electione hac acquie-  
uisse. *Dlugoffius*<sup>17)</sup> Historicus Polonus saeculi decimi  
quinti, cæteroquin' fabulis abundans, commemorat:  
Mestvinum II., quum se liberis orbum videret, Du-  
cem Poloniae Primislauum propter affinitatem et vinculum  
sanguinis successorem suum designasse. Quodsi hæc nar-  
ratio Historicorum Pomeranorum et Polonorum, quæ alias  
neque testimonio ullius coævi, neque documentis, sed yaga  
modo traditione nititur, veritati ad amissim consentanea es-  
set, inde ramen Pœlonis nullum plarie in Pomerelliam jus re-  
fultaret, quia neque Ordines hujus territorii provinciales, ne-  
que Dux Mestvinus per optionem suam, quidquam juri ex  
sanguine et conventionibus oriundo, anteriori et fortiori,  
quod Dukes Stettinenses habuerunt, neque Dominio di-  
recto agnito Marchionum Brandenburgicorum, poterant  
derogare. Linguae et morum cum Polonis similitudo sa-  
ne non magis legitimam causam suppeditare poterat, quam  
affinitas Ducis Polonia cum Mestvino, quippe quæ admis-  
sum remota et secundum Genealogiam supra memoratam  
ex parte feminea originem trahens, juribus collateralium  
mascu-

<sup>17)</sup> Libr. VII. anno 1290.



mascularum Ducum Stettinensium, immo si ipsi successio-  
ni foemineæ locus fuisset, affinitati et Juri minus remoto  
filiarum Melsvini II.<sup>18)</sup> cedere omnino debuisset. Reges  
Poloniae quoque his affinitatis et electionis voluntaria titulis  
tam parum confisi sunt, ut eisdem in contestationibus suc-  
cessu temporis cum Equitibus Teutonicis super Pomerellia  
ortis usos esse haud reperiatur; sed potius quum Rex Cas-  
mirus, titulos suos proferre, deque eis disceptare deberet in  
Conventibus pacis Thorunii anno 1464. Episcopo Lube-  
censi mediatore habitis, præcipua quæ Commissarii  
Poloni in medium adducere poterant capita, hoc re-  
dibant: *Lechum* fundatorem Monarchiae Polonicae in Po-  
merelliam æque ac Poloniam incolas deduxisse; civitates  
et villas hujus territorii nomina Polonica gerere, atque Epi-  
scopos Poloniae jus diocesanum ibi exercere.<sup>19)</sup> Argumen-  
ta vero tam levia vix refutari merentur.<sup>20)</sup> Poloni quo-  
que neque per scriptores coevers fide dignos, neque per  
Diplomata authentica unquam probabunt, Dukes Pome-

rel-

<sup>18)</sup> Superfluum foret hoc loco in-  
quirere, quibusnam Melsvini II. filia  
nupserint, quippe quæ successionem in  
regiones paternas haud appetierunt.  
Secundum chartas, una ex illis Pribislao,  
Dynasta de Belgard nupta fuit.

<sup>19)</sup> Schützus in Chronico Prussia  
fol. 513. ex actis hanc deductionem  
Polonicam æque ac responsum Or-  
dinis pluribus exposuit.

<sup>20)</sup> Inter Historiarum peritos con-  
stat, narrationem de Lecho non nisi  
et dum nimium, nihil probant.

auctorum recentioris ævi commentarii  
esse, idque ipsi Historici Poloni melioris  
notæ, uti Lengnich Hist. Pol. p. 5. agno-  
scunt et Schlettgerus nuper relatae li-  
cer doctissimo Principe Jablonovio evicit;  
et si vera esset, non tamen jus in ali-  
quam regionem succedendi magis tribue-  
re posset quam similitudo nominum lo-  
corum, aut jus diocesanum Episcoporum.  
Hæc duo posteriora argumenta quadra-  
rent æque in Hungariam et Bohemiam.

relliae vasallos Poloniæ fuisse, nec inde successionem Primiſlai II. deducere poterunt. <sup>21)</sup> Dlugoffus et alii qui inter

<sup>21)</sup> Historici Poloni, ut Kadlubko, Boguphalus, Bazko, ex ſeculo decimo tertio, Dlugoffus ex ſeculo decimo quinto, et ii qui eos exſcriperunt, magno cum apparatu narrant: Reges Poloniæ ſeculi decimi et undecimi, præcipue vero Boleslaui Krzywousti totam Baltiſci mari oram ſubjugasse, et Prinzipibus ex familiis Griffonum, Craco cuidam et Bogislico, et poſter ipſi Svantepolco II, qui deinceps defecerit, Vasillagii titulo contuliffe Pomeraniam. Hi vero Historici ab eius tempore, de quo loquuntur, nimis remoti ſunt, ut quidquam probare poſſint; circumſtantie, quas commemorant, fabulofa plane ſunt, æque a tota antiquior Polonia Historia, nec ullo modo five cum auctoriis coavis five cum Diplomaticis conciliari poſſunt, ubi nominum barborum Cacci et Griffonum, et Vasillagii Ducum Pomeraniæ erga Poloniam nec vola nec veſtigium reperitur, impriſis poſtquam hi Duces anno 1181, in ſedis Imperii Germanici ſucepti, et Marchionibus Brandenburgicis quodammodo ſubordinari fuerant (vid. notam 7.). Conſtat potius ex ſerie Chartrarum in Codice Diplomatico Pomeraniæ et ex monumenti Olivenſibus in Chronico Olivenſi et Schützii adduſis, omnes Pomeraniae Duces a Suantiboro I, et præcipue illos Pomerellie

inde a Subislao, linea non interrupta ſecundum Tabulam genealogicam Nota 12. allegatam, jure fanguinis, nullo Dominatorum Polonia interv entu, fibi invicem ſuccellſe. Quodſi hi Pomerelliae Duces ſibi ſubjicere aliquando ten tarunt, negotium hoc male eiſi ſuccellit, ſicut ipſi Historici Poloni teſtantur; Daces Pomerelliae potius plerumque bellis frequentibus cum Polonis ſuperiores diſcesserunt; quumque Lefco Duke Polonia Ducem Suantepolcum II. anno 1227. ad Comitia Gansavæ celebra ta tanquam Vasallum ſuum vocaſſet, hic exercitu ſtipatus comparuit, Polonoſ in fugam conjeſcit, iſipſumque Ducem Leſconem interemit. (v. Boguphalum in Sommersbergi Collectione T. II. p. 57.) exque illo tempore Suantepolcus II. et ſuccellor eius Meflinus II. ut Principes nemini ſubjectos et Polonicis omnino pares ſemper ſe geſſerunt, quod quidem ex permagno numero Chartarum in Codice Diplomatico Pomeraniae appetat, ex quibus ſolum ſedus pacis anni 1248. cum Ordine Teutonico, (p. 270.) et pactum anno 1256. cum Duke Poloniae Primiſlao ſuper poſſeſſione Caſtri Nakel, ſecundum annales Bazkonis apud Sommersbergium T. II. p. 68., initum, alle gabimus, v. etiam Schwartzum in Historia feudalii Pomeraniae p. 70. 168.

inter Historicos Polonus eminent, nonnisi in libera electio-  
ne Mestvini et Statuum provincialium eam fundarunt, et ti-  
tulum Dominii directi Regum Poloniae in Pomerelliam urg-  
ere ausi non sunt; imo si Reges hi directum hoc dominium  
re vera habuissent, quod vero non conceditur, inde tamen non  
majus eis jus fuisset, Duces Stettinenses Consanguineorum  
collateralium successione excludendi; homagium quidem  
ab illis, non autem successionem in Pomerelliam exigere  
potuissent. Si Corona Polonia dixerit, per pacem anno  
1466. initam et cessionem, quam Ordo Teutonicus ei fecit,  
ipsam successisse in jura, quae Ordo hic habuit, qui Pome-  
relliam partim per legata et cessiones antiquorum Ducum,  
partim per venditionem Marchionum Brandenburgico-  
rum acquisivit; respondemus: Ordinem Teutonicum for-  
tiora jura, quam que ipse habuit, quae vero nullius erant  
valoris, in Coronam Polonicam transferre non potuisse,  
quia neque Marchiones Brandenburgici, neque Pomerelliæ  
Duces, Pomerelliam in fraudem hæredum legitimorum,  
Ducum Pomeraniae, cedere aut vendere poterant.

## Demon-

Accedit quod quum, ut supra evi-  
cimus, postremi Pomerelliæ Duces circa  
controversiam Marchionum Branden-  
burgicorum vasallifuerint, eodem tem-  
pore vasalli Polonie esse non poterant.  
Evidem homagiorum per aliquos Duces  
Pomeranie Polonia præfitorum exem-  
pla compilator Codicis Diplomatici Po-  
lonie adserit; sed exempla hæc ex sa-  
culo decimo quinto petita et tempori  
successionis Mestvini multo posteriora  
sunt; videtur quoque homagium hoc  
solummodo temporarium, et persona-  
le fuisse, vel ad bellum, quod Polonis  
cum Equitibus Teutonicis intercessit,  
aut ad exiguum quandam territorii par-  
tem Principis cuiusdam appanagiati,  
qui Duces Stettinenses, suprema pot-  
estate præditos, exemplo suo obligare  
minime poterat, pertinere et spectare.

❧ ♫ ♪ ♫

Demonstravimus igitur, Polonus justum in Pomerelliam titulum, neque ultimi Ducis Mestvini morte, neque successu temporis acquisivisse, sed Duces Stettinenses Ducum Pomerelliae legitimos successores fuisse et mansisse. Quanvis autem illorum jura in hanc successionem essent extra controversiam posita, satis tamen virium non habebant, ut contra potentiam Marchionum Brandenburgicorum, Ordinis Teutonici et Polonorum ea tueri possent; adeoque ea relinquere et protestationibus contenti esse cogebantur. Nec vero neglexerunt primam, quae se offerebat, occasionem arripare, de Pomerellia quantum fieri poterat, repetendi et vindicandi. Post mortem Mestvini Bogislaus IV. Dux Stettensis tractum Rügenwaldensem occupavit et Polonus prope Monasterium Bukow anno 1298. fugavit. At rixæ de successione Barnimi II. ortæ familiam Ducum Stettensium tunc adeo distrahebant, ut jura sua in hæreditatem Ducum Gedanensium defendere aut longius persequi non possent; scimus tamen, Dukes Stettinenses ab anno 1306. ad 1308. acre bellum in Pomerellia adversus Marchiones Brandenburgicos sustinuisse. Verum potentissimus ille Waldemarus, qui viribus totius fere Septentrionis conjunctis resistebat, facili negotio Pomerelliam contra hos Duces sibi adseruit. Cum Princeps hic partem Pomerelliae Ordini Teutonico vendidisset, tractum inter Lebam et Grabovam sive territorium Leoburgense, Butoviense, Stolpense et Rügenwaldense <sup>22)</sup> sibi servavit.

C 2

War-

<sup>22)</sup> vide notam 10.




Wartislaus Dux Slaviae vel Stettini ab anno 1313. ad 1317. opportuna occasione usus, territorium illud armis seu pactis in suam potestatem redegit, <sup>23)</sup> quod quidem ex hoc tempore sub Ducum Pomeraniae dominio permanfit. Ex eodem tempore quoque cuncti Slaviae Duces, Stettinenses aequae ac Wolgastienses, in Diplomatibus suis titulo Ducis Pomeraniae, quem per integrum saeculum sibi neglexerant, constanter uti coeperunt, titulisque Slaviae et Casubia addiderunt, tum ut possessionem partis Pomerelliae, quam recuperaverant, significant, tum ut hoc titulo jus in reliquam hujus provinciae partem conservarent. Non quidem satis viribus pollebant, neque occasio, jura sua in Pomerelliam vindicandi deinceps se obtulit, numquam tamen illic expresse renunciaverunt; et quemadmodum possessio Polonica ab initio laboravit vitio, ita Duces Pomerania jura sua

<sup>23)</sup> Praeter testimonium Historicorum Pomeranicorum hujus facti veritatem evincunt Diplomata, Privilegia et universa Acta publica harum terrarum, qua post hanc epocham, nomine Ducum Slaviae fuerunt consignata. Hic Dux Wartislaus territorium quoque Butoviensis possidebat, idque aule sua Mareschallo de Behr concedebat, qui deinceps Ordini vendidit. Hac ratione Ordo Teutonicus de novo et contra fas Tractum Butoviensem ac Leburgensem a Pomerania avulsiit. Quum Casimirus Poloniae Rex Pomerelliam sibi subjicere meditaretur, tractus Lauenburgensem et Butoviensem Erico Duci Pomeraniae, quem amicum sibi reddere volebat, anno 1453. concessit, et Sigismundus I. Rex eos anno 1526. in perpetuum et hereditario jure Georgio et Casimiro Ducibus Pomeraniae dedit, tum propter auxilium jam dictum Ducis Erici, tum propter remissionem 14000 aureorum de dote matris ipsorum sororis sua, vid. Cod. Diplom. Polon. T. I. p. 547. et 583; unde patet, Dukes Pomeraniae titulo admodum onerofo possessionem territorii Lauenburgensis et Butoviensis, qua postea ad Domum Brandenburgianam anno 1657. per tractatum Bydgosensem translata est, obtinuisse.

sua in successore suo Electores Brandenburgicos transtulerunt. Constat inter omnes, mutato jure Dominii directi aut superioritatis feudalis, quod Marchiones Brandenburgici olim in Pomeraniam exercuerunt, per conventiones anni 1338. et 1529. in exspectativam vel jus successionis eventualis, et Bogislao XIV. ultimo Pomeraniae Duce ex antiqua stirpe Veneda anno 1637. fine hæredibus mortuo, Electores Brandenburgicos tanquam hæredes universales in Ducatum Pomeraniae succeſſisse, ea modo parte exempta, quæ pace Westphalica Coronæ Sueciæ cessa est, et hinc in hæreditatem ipsis omnia jura et omnes prætensiones legitimas antiquorum Ducum Pomeraniae obtigisse. Hinc sequitur, Regi qua Electori Brandenburgico et Pomeraniae Duci certissimum jus competere, jura, quæ prædecessores sui Duces Pomeraniae omni tempore in Pomerelliam habuerunt, opportuno tempore et loco vindicandi.

Dixerit quispiam: antiquos Marchiones Ordini Teutonico Pomerelliam vendidisse, Regiam igitur Majestatem a venditione per prædecessores facta recedere non posse. Respondemus: Principes hos vendidisse tantum jura, quæ tanquam Marchiones Brandenburgici tunc temporis habuerunt, jura autem plane diversa, quæ successores illorum multo post acquisiverunt ex successione Ducum Pomeraniae, quæque multo fortiora erant quam prætensiones Marchionum Brandenburgicorum in Pomerelliam, in antecessum alienare nec potuisse nec voluisse. Non defunt quoque magni ponderis argumenta, quæ contra validitatem seu obligationem



permanentem venditionis supradictæ allegari possent. Marchiones Brandenburgici Waldemarus et Johannes inierunt eam, non concurrente Marchione Henrico, qui tunc adhuc in vivis erat; nonnisi 10000 Marcas argenti accepérunt et quod verum pretium excedebat, Ordini Teutonico donarunt eo animo, ut bonorum ipsius operum participes fierent, secundum tenorem Diplomatis venditionis et ipsam Ordinis confessionem in contestationibus suis cum Polonis.<sup>22)</sup> At enim vero ista venditionis ratione postea cessante, quum Marchiones Brandenburgici jura quidem sua Ordini Teutonico, non vero Polonis cedere voluerint, et quum hi nonnisi per violentiam et sine ullo titulo Pomerelliam acquisiverint; Electores Brandenburgici ex Domo Zollerana, qui successores modo particulares non autem universales hæredes antiquorum Marchionum Stirpis Ascanica vel Anhaltinæ sunt, adeoque omnia horum facta et promissa implere non tenentur, jus suum antiquum in Pomerelliam Electoratu Brandenburgico inhærens et valide sine æquivalenti sufficienti alienari nescium, omnino repetere et vigori suo reddere possunt. Ex his præmissis ex que omnibus argumentis quæ modo allata sunt, inferimus: quod Rex Borussiae, idemque Elector Brandenburgicus et Dux Pomeraniae, Pomerelliā vindicare possit ex duobus titulis æque validis, nempe vi juris successionis, quod antiqui Duces Pomeraniae habuerunt, quo injuste privati sunt, et vi Dominii directi ac superioritatis feudalis antiquo-

<sup>24)</sup> Schützii Chronicon Prussiae fol. 315.

tiquorum Marchionum Brandenburgicorum in Pomerelliam, quod vigori suo postliminio restitui debet, postquam venditio hujus territorii Ordini Teutonico facta cessare incepit, adeoque Regi Borussiae jus feudum cum Dominio directo ratione Pomerelliae reunandi ac consolidandi firmissimum comperat.

II) Magna sane est injustitia, qua Poloni Pomerelliam possident; sed non minor est illa, qua Poloniae majori appropriarunt tractum inter fluvios Drawam vel Dragam, Notezam et Kuddovam situm,<sup>25)</sup> et oppida Tucz, Krone, Fridland, Filehne, Slop et alia continentem. Hic tractus haud spernendus saeculis decimo quarto et quinto ad Marchiones Brandenburgicos et ad Novam Marchiam absque ulla dubitatione pertinuit. In Tabulario Episcopatus Posnaniensis exstat Charta memorabilis de anno 1312, qua Waldemarus et Iohannes Marchiones Brandenburgici cum Episcopo Posnaniensi de decimis hujus territorii transfigunt.<sup>26)</sup> Totus hujus diplomatis tenor satis indicat, quod tractus suprарominatus expressis verbis cum fluviis et oppidis ibi designatus, tunc temporis, sub dominatione indubia Marchionum Brandenburgicorum fuerit, confitente ipso Episcopo Posnaniensi regni Poloniae Senatore. Anno 1345. Elector Brandenburgensis Ludovicus Bavarus Ordini Sancti

Io-

<sup>25)</sup> Rivulus iste, quem quidem in mappis geographicis sed non nominatum repertis, haud procul ab oppido Neo-Stettino incipit, Pomerellii separat, ac tandem prope oppidum Vscie in Netzam influit.

<sup>26)</sup> Integra hac Charta reperitur inter Documenta probantia Num. IV.



Iohannis civitatem Tempelburg donabat, tunc temporis in eodem territorio sitam.<sup>27)</sup> Tabularium Regium Berolinense continet registrum originale omnium civitatum et villarum Marchiae Brandenburgensis, anno 1373. jussu Imperatoris Caroli IV. ejusque filii Wenceslai Regis Bohemiae, cum Marchiam Brandenburgensem acquirerent, conscriptum. In hoc registro vulgo *Land-Buch*, reperies civitates Tucz, Krone et Fridland expresse nominatas, tamquam spectantes ad territorium Novae Marchiae et quoad proprietatem ad familiam nobilissimam de Wedel. Quum Sigismundus Lützelburgicus et Bohemicus, Rex Hungariae et Elector Brandenburgensis Novam Marchiam Ordini Teutonico anno 1402, 63000 Florenorum aureorum pretio sub lege retrovenditionis vendidisset;<sup>28)</sup> Vladislaus Jagello Rex Poloniae, post pacem Raczensem, anno 1405. per instrumentum publicum Ordini Teutonico promisit, se eosdem limites Poloniam Majorem inter et Novam Marchiam, quos Ordo Teutonicus tempore acquisitionis reperisset, et qui ab antiquis temporibus existissent, servaturum esse.<sup>29)</sup>

Non

<sup>27)</sup> vide Codicem Diplomaticum Brandenburgensem Tom. III. p. 244, in quo alia eti in Chartæ exstant probantes, oppidum Vcz et alia loca hujus regionis ad Marchiam Brandenburgicam pertinuisse. p. 168. 184.

<sup>28)</sup> In Cod. Diplom. Polon. T. I. p. 596. reperitur quidem instrumentum de anno 1402, quo Sigismundus Regi Jagelloni Novam Marchiam approbavit. Sed venditio haec forsitan cogitata,

postea tamen effectum non fortita est, quoniam per litteras posteriores anni 1402, quæ authenticæ in Tabulario Berolinensi adiungunt, Sigismundus Novam Marchiam re vera Ordini Teutonico vendidit, qui eam quoque ad annum 1454. usque possedit.


<sup>29)</sup> Hoc Diploma, cuius Originale in Tabulario Berolinensi exstat, reperitur inter Documenta probantia hujus Expositionis Num. V.

Non obstante hac tam follemini stipulatione Rex Iagello antiquos Novæ Marchiæ limites infringere, et limites Polono[n]os ultra Notezam vel Netzam extendere tentabat. Per Tractatus pacis anni 1422. et 1436. Ordo Teutonicus decisionem hujus controversiæ et disliminationis inter Poloniæ et Novam Marchiam, certis quibusdam Commissariis et Arbitris permittere cogebatur. Formulam pacis de anno 1436. attente considerantes et cum illa pactum anni 1349. conferentes, perspicue videmus: *Limitem litigiosum Poloniæ inter et Novam Marchiam ibi incepisse, ubi definit Cujaviæ et Pomerellia limes, qualis adhuc hodie in mappis geographicis indicatur; consequenter, prætensiones Novæ Marchiæ tunc temporis usque ad fluvium Kuddow imo ulterius ivisse, certos et indubitatos vero limites ad ostium fluminum Birzennik et Notecz incepisse.*<sup>30)</sup> Hoc arbit-

<sup>30)</sup> Ut de soliditate hujus assertio[n]is eo re[cte] judicari possit, apponere juvat locum Instrumenti pacis de anno 1436, qui in Codice Diplomatico Polonæ T. IV. p. 125. impressus legitur

Medius fluvius Vistula erit limes inter Regnum Poloniae & Terras Magistrorum Prussiae — usque quo medieta[re] Vistule tanget locum, quem quondam Casimirus Rex cum Magistris Prussiae dicto Busmar, inter terras Brandenburgenses & Pomeraniæ certis litteris & signis notabilibus limitavit. — Item incipiendo ab e[st]e loco in quo prædicti limites per Casimirum Regem Poloniae &

Magistrum Prussiae faci & in eorundem litteris expressi terminantur & definitur, in procedenâ ulterius usque ad introitum fluminis Notecz five Bierwiennik, observabimus ipsum modum & ordinem: Quod si de prædictis limitibus poterint bona fama tres homines pro parte nostra & Coronæ, & tres pro parte Magistri & Ordinis electi, vijs utriusque Partis litteris, juribus & possessiōibus, & aliis legitimis documentis concordare, stabunt limites taliter concordati, ubi autem non possent electi illi homines bonis modis concordare, ex tunc fortis ab utraque parte mutuantur, quamcumque



arbitrium locum nunquam habuit; bellum enim mox recrudit, idque Equitibus exitiosum fuit; etenim Poloni totam Pomerelliam et supra dictum tractum Novæ Marchiæ in potestatem suam redegerunt, et tandem per pacem Thorenii anno 1466. initam Pomerelliam retinuerunt. Quum Ordo Teutonicus durante adhuc hoc bello anno 1454. Friderico II. Electori Brandenburgico Novam Marchiam cum eisdem limitibus, quibus eam anno 1402. a Sigismundo Electore acceperant, retrovendisset, partem illam Novæ Marchia Dragam inter et Notezam et Kuddovam Polonis cedere non poterat, nec quoque illam tradidit. Licet enim in formula pacis anni 1466. nomina omnium

autem Partem fors contigerit, sic emiffa Pars reliqua, quam fors ipfa non texit, debet sex Personas quas placet, de Parte praedicta eligere, quas Personæ sic electæ, postquam juramento corporali limites inter partes praedictas sic de limitibus discrepantes firmaverint, limites illi si juramento firmati, pro signis & limitibus inter Regnum Polonice & Terras Novæ Marchiae perpetuo remanebant. — Postquam autem ventum fuerit per limites praedictos sicut præmititur distinctos juramento, quando linea illi fluvium Notez & Birzwiennik infiliet; ipse fluvius Birzwiennik medius erit limes perpetuus inter Regnum Polonice & Terram novæ Marchiae & iterum ubi Birzwiennik cum Notheis confluit, medius fluvius Notheis erit limes.

Tractatus Regis Casimiri et Magistri generalis Dusmer, in illo de anno 1436. allegatus est Paetum de anno 1349. vid. Cod. Dipl. Polon. T. IV. p. 71. Limites Poloniam inter et Pomerellian ibidem eodem fere modo definiti sunt ac in mappis recentioribus, et cum flumine Kuddow definiti, quod ex incuria scribentis ibi Groda, loco Guoda, (quod est antiquum nomen Polonum Kuddova.) nominatur. At enim vero, quemadmodum secundum Tractatum anni 1436, regio litigiosa inter Poloniam et Novam Marchiam, qua per arbitrios definiari debebat, ibi incipit, ubi certi inter Poloniam et Pomerellian limites, in Tractatu de anno 1349. expresi definiti, inde probatio ejus quod supra in textu stabilivimus, resultat.


omnium civitatum et oppidorum, quæ Ordo Regi Casimiro cedere coactus fuit, accurate descripta sint, ne ultimum tamen ibidem ex isto Novæ Marchiæ tractu reperitur, de quo nunc sermo est. Interim verisimile est, quod occasione hujus belli inter Equites Teutonicos et Polonos, hi eum Tractum occupaverint. Sed cum supra demonstratum sit, regionem intra Netzam, Dravam et Kuddovan, sœculo 14. et 15. de jure ad Novam Marchiam pertinuisse; Jagellonem Regem Ordini Teutonico promisisse, se tranquillam limitum Novæ Marchiæ possessionem, quam ab Electore Sigismundo acceperat, eidem relicturum; eundem Regem tractum inter Dravam, Notezam et Kuddovam litigiosum declarasse in Tractatu folleimi pacis anno 1436. inito, et decisionem ejus ad arbitrium remisisse, quod vero numquam locum habuit; Coronam Poloniae, denique nullum pacis foedus vel alium justum titulum super acquisitione Tractus, de quo queritur, producere posse; possessio ejus, in qua haec tenus fuit, semper vitiosa fuit,<sup>31)</sup>

D 2

hinc

<sup>31)</sup> Si ad colorandum hujus tractus possessionem, Poloni ad matriculam limitaneam, quam anno 1251. per Boleslaum Ducem Poloniz confertam, et per Regem Casimirum anno 1364. confirmatam esse dicunt, que in Cerkenni Codice Diplom. Brandenburgi Tom. III. p. 253. ex apographo edita legitur, provocare velint; facili negotio demonstrari potest, matriculam hanc, cuius authenticum exemplar producere numquam potuerunt, supposi-

titiam a falsario quodam fabricatam esse, quem fugiebat, Ordinem Teutonicum, quem tamquam partem contrahentem hujus matriculae allegat, anno 1251. neque Novam Marchiam, neque Pomerelliam possedit. Compilator Codicis Diplomatici Poloniz in præfatione Tomi primi sibi quidem periuaderet, se præsentes Novæ Marchiæ limites admodum angustos reddere et jura antiqua Coronæ Poloniz in partem hujus regionis probare posse, modo dislimi-



hinc consequitur, Regem Borussiæ restitutionem hujus territorii quod tam injuste a Nova Marchia avulsum est, jure poscere, et illud postliminio vindicare posse,

III) Haud minora decrementa per dismembrationes injustas Regum Poloniæ perpetra est *Silesia*. Secundum tabulas divisionis anno 1312. inter fratres Duces Silesiæ initæ, <sup>32)</sup> Henricus Dux Glogoviæ in sua portione civitates et tractus Posnaniensem, Fraustadt, Obernick, Wroncke &c. comprehendere debebat. Sed Casimirus III. Rex Poloniæ amplum hoc territorium anno 1343. violenter occupavit, et contra fidem federum, quæ ipse anno 1335. et 1339. pepigerat, Ducibus Silesiæ eripuit. <sup>33)</sup>

Alia recentior et haud exigua usurpatio est, quam Poloni contra Silesiam exercerunt, nempe Ducatum Zator et *Oswiecim*, intra Oppolium et Cracoviam sitorum. Hi tractus sine contradictione partem Silesia constituerunt, ac

con-

nationes tempore Casimiri III. factas invenire posset. Verum enim vero candide sub fide Archivi Brandenburgici afferverare possumus, eas numquam inventum iri. Idem compilator chartis quibusdam de annis 1365, 1402. et 1422, quibus Toparchæ Driesenes fatentur, se castrum hujus nominis a Corona Polonia in feudum accepisse, plurimum tribuit. At enim vero actus hi fuerunt illegitimi, inque medio turborum strepitu minoribus extorti, et singulæ hæ Chartæ per instrumen-  
tum Ulrici Domini de Driesen, de anno 1408, cuius authenticum exstat, et

inter documenta probantia Num. VI. legitur, defruuntur, quippe in quo declarat, Castrum et Dominium Driesen ab antiquissimis retro temporibus Marchia Brandenburgicæ clientelari nexu subfuisse, tellibus literis investitura, ac si recogniciones his contrarias Polonia dederit, si al. eis atate adhuc tenera, minis ac falsis suggestionibus, clam et sub impositione perpetui silentii ad id compulsum fuisse.

<sup>32)</sup> vid. Tabulam divisionis anni 1312. in Sommersbergii collectione Scriptorum Silesiacorum T. I. p. 869.

<sup>33)</sup> Idem ibid. p. 276.

❧ ♫ ♫

constar, omnes Silesiae Duces et speciatim Zatoriensem ac Osvieczinensem saeculo decimo quarto se clientelae Regum Bohemiae subjecisse.<sup>34)</sup> Spretis his voluntariis et sollemnibus obligationibus, Dux Iohannes anno 1457. Ducatum Osvieczin Regi Poloniae pretio  $\frac{60}{m}$  marcarum argenti, et anno 1494. Zatorensem pro  $\frac{80}{m}$  florenis Hungaricis vendidit.<sup>35)</sup> Haec alienationes sine consensu et obstantibus iuribus agnitis Domini directi Regis Bohemiae factae, omnino nullae sunt, et Rex quippe possessor legitimus et Supremus Dux Silesiae, qui in jura Regum Bohemiae successit, omni tempore eas tollere, et jura sua in Ducatum Zatorensem et Osvieczinensem vindicare potest.

IV) Ad prætentiones legitimas, quas juxta articulos præcedentes Domus Brandenburgica contra Regnum Poloniae æquissimo jure format, accedit pecunaria plane liquida, in cuius securitatem territorium civitatis Elbingensis possidet, cuius origo haec est. Quum Fridericus Wilhelmus Elector anno 1657. cum Republica Polonica pacem Vellaviensem iniisset, eidemque auxilium contra Carolum Gustavum Sueciae Regem in bello isto, ubi de summa Reipublicæ agebatur et tota Monarchia Polonica maxime periclitabatur, promisisset, Rex Iohannes Casimirus et præcipui Regni Senatores, quam sollemnissime in Conventione Bydgostensi die 6. Novembris 1657. inita promiserunt,

D 3

sc

<sup>34)</sup> vid. Chartam Ducis Iohannis Zatoriensis de anno 1327. in eadem Collectione Tom. I. p. 807.

<sup>35)</sup> Contractus venditionis ibidem reperiuntur p. 808, et 811.

se propter hanc armorum conjunctionem, civitatem Elbingensem cum universo ejus territorio, pleno Dominii jure Electori sine mora tradere velle, quam primum a Suecis recuperata fuerit. Eodem tempore Elector promisit, se hanc urbem Reipublicæ Summa  $\frac{400}{m}$  thalerorum soluta, mox redditum. Finito post triennium bello per pacem Olivensem, Poloni Elbingam occupabant; Elector autem Fridericus Wilhelmus nec obtainere potuit, ut civitas ipsi traderetur, nec ut hi  $\frac{400}{m}$  thaleri solverentur, licet sèpissime moneret, ipseque Rex Poloniae nec non præcipui Reipublicæ Ministri injustum hunc procedendi modum agnoscerent. <sup>36)</sup> Successor ejus Elector Fridericus III. quidem per milites suos anno 1698. Elbingam occupari jussit, eam tamen redditum Reipublicæ per Tractatum anno 1699. initum, secundum cuius tenorem debitum ad Summam  $\frac{300}{m}$  thalerorum minuebat, et pignoris loco coronam et clenodia quedam accipiebat, addita conditione, ut nisi intra quadriennium prædicta Summa numeraretur, fas ei esset integrum territorium civitatis Elbingensis occupare, ac pro usufructu possidere. Hac igitur solutione non facta, Fridericus jam ad Regale solium evectus, territorium Elbingense occupabat, eodemque anno civitati Elbingensi summam septuaginta millium thalerorum mutuo dabat, ut contributionem, quam Sueciæ Rex Carolus XII. exigebat, solveret. Rebus ita

com-

<sup>36)</sup> Hanc prætensionem cum proportionibus necessariis accurate exhibet Deductio anno 1698. edita sub Tuto: *Repræsentatio Juris, quo Electori Brandenburgico fias est, possessionem pignoris in urbe Elbinga constituti, arripere.*

comparatis, Domus Brandenburgica a Republica Poloniae et civitate Elbingensi fortem liquidam  $\frac{370}{m}$  thalerorum in speciebus, qui plusquam  $\frac{500}{m}$  thaleros monetæ, quam currentem vocant, efficiunt, jure poscit, pro qua forte nunc usufructu gaudet, et redditus ex territorio civitatis Elbingensis provenientes percipit.

Exposuimus igitur atque ex Historia, Fœderum tabulis, Diplomatibus authenticis, et per omnia quæ inter mortales maxime fide digna censentur, demonstravimus: *Pomerelliam* per successionem legitimam ad Dukes Pomeraniae eorumque Successores Electores Brandenburgicos pertinere; *Triculum Majoris Poloniae* intra fluvios Netzam, Dravam et Kuddovam situm, pristinis temporibus ad Novam Marchiam pertinuisse, et non nisi vi injusta ab ea avulsum esse, et *Ducatus Oswieczensem* et *Zatorensem* a Silesia absque consensu Regum Bohemiae alienari non potuisse. Corona Poloniae nec ullam Pomerelliæ a Ducibus Pomeraniae, aut ab Electoribus Brandenburgicis tractus dictis tribus flaviis inclusi, nec Dominorum directorum Silesiae in *Ducatus Zatorensem* et *Oswieczensem* cessionem producere potest. Nullas poterit proferre tabulas, quibus Principes hi juri suo in ditiones has renunciaverint. Frustra provocarent Poloni ad Tractatum pacis Velavensis de anno 1657. et ad garantiam pacis Olivensis de 1660, quam plures Europæ Principes suscepserunt. Prior finivit bellum inter Poloniae Regem Iohannem Casimirum et Fridericum Wilhelmm Electorem Brandenburgicum, cuius præciuum

puum objectum fuit supremum Ducatus Prussiae dominium. Per Olivensem compositum est bellum inter Imperatorem Leopoldum, Regem Poloniae et Electorem Brandenburgicum ab una, et Regem Sueciae ab altera parte, ex prætensionibus Regum Poloniae in Regnum Sueciae ortum. In uno alteroque Tractatu de iis modo momentis, de quibus lis erat, quæque bella hæc suscitaverant, transactum est. Ibi nulla plane sine generalis, sine specialis clausula reperitur, qua Elector Brandenburgicus prætensionibus suis in Pomerelliam et tractum Novæ Marchiæ renunciavit, seu derogavit, aut jura Poloniae in has provincias recognovit; quippe durante hoc bello et dum de pace Olivensi tractabatur, nunquam de iis sermo fuit. Reservarunt sibi potius partes contrahentes (Artic. 24. §. 2.) conventiones, quas vel inter se vel cum aliis habere possent. Cæteroquin Elector Brandenburgicus in Tractatu pacis Olivensis, solum cum Sueciae Rege, non vero cum Poloniae Regno transegit adeoque nihil huic stipulari potuit. Quæ cum ita sint, Tractatus pacis Velaviensis et Olivensis neque Coronæ Poloniae fortiora in Pomerelliam et tractum Novæ Marchiæ jura, quam quæ antea habuit, tribuere, nec justis Domus Brandenburgicae prætensionibus quidquam derogare potuerunt, nec garantia pacis Olivensis ultra id, quod hac pace expressis verbis comprehensum est, nec in detrimentum iurium tertii, qui eis non renunciavit, extendi potest, siquidem Principes sponsores non nisi de observando hoc Tractatu, nequam vero de integritate possessionum alioquin litigiosam

rum

▲ ♦ ♦ ▲

rum Coronæ Polonicae fidem suam interposuerunt. Quum igitur neque *Cessiones* nec *Renunciations expressas*, Tituli, qui soli inter Summos imperantes aliquid momenti et ponderis habent, proferre et allegare possit Polonia, fortassis ad præscriptionem et possessionem immemorialem ceu sacram quamdam anchoram configuet. Famosa est controversia inter doctos super quæstione: An præscriptio sit Juris Naturæ, et an inter gentes liberas locum habere possit?<sup>37)</sup> Affirmativa infirmo admodum arguento nititur, quod is qui per longum tempus jure suo usus non est, illud dereliquisse præsumatur. Sane præsumtio semper dubia est, adeoque jus certum et proprietatem supremi Principis destruere nequit. Præsumtio hæc plane cessat, quum vires usurpatoris fortiores Dominiū legitimum impedierunt, quo minus jura sua vindicaret, id quod in casum præsentem quadrat. Solum tempus possessionem, quæ ab origine injusta est, justam reddere nequit; et quemadmodum inter gentes liberas nullus judex exstat, ita nemo decidere potest, utrum tempus elapsum ad præscriptionem fingendam sufficiat, et an præsumtio derelictionis satis constet. Licit autem quæstionem indecisam mittamus, præscriptio tamen, quam Republica Poloniæ in casu præsenti allegare posset, ne ultra quidem ex parte talis est, qualem illi exigunt, qui præscriptio-

<sup>37)</sup> *Grotius*, *Puffendorff*, *Wolfius*, defendant. *Puteanus*, *Breunig*, et *Werlhoff*, *Vatel*, et alii affirmativam alii pro negativa dimicarunt.



Icriptionem tueruntur, ut inter Status liberos valere queat.<sup>38)</sup>  
*Non immemorialis* est, siquidem epocha et origo vitiosa possessionis Polonicae regionum, de quibus agitur, satis superque demonstrata est. Nec bona fide nititur, quoniam ex historia et propriis archivis vitium possessionis sua scire poterant et debebant Poloni. Neque partibus, quarum interest, probare poterunt silentium aut tales derelictionem suarum prætensionum, qualis ad præscriptionem omni exceptione majorem statuendam requiritur. Superpondium virium Regum Poloniae et temporum pericula in hunc usque diem obliterunt, quo minus Duces Pomeraniae et Electores Brandenburgici jura sua persequerentur. Interim tamen Dukes iidem statim post Ducum Pomerelliae obitum de hoc territorio vindicarunt, quantum potuerunt, scilicet tractum intra Lebam et Grabovam, et insignia et titulum Ducum Pomeraniae, qui speciatim Ducatu Pomerelliae inhaesit, eodem tempore assūmserunt, atque ad nostram usque ætatem transmisere, hoc ipso vero prætensiones etiam in has provincias a quacunque præscriptione liberas conservaverunt.<sup>39)</sup>

Quum igitur prætensiones Serenissimæ Domus Brandenburgicae in Pomerelliam et alios amplissimos Poloniae tractus justæ et legitime sint, firmissimoque fundamento niantur, nec præscriptione extinctæ sint, Serenissimus Boruforum Rex eos repetere et jura sua, more inter gentes usitato

38) Grotius de Jure B. et P. L. 2. Lib. 2. c. 11. §. 142. 143. 144. c. 4. §. 5. 6. 7. Vatel Droit des Gens 39) Vatel ibid. §. 145.

tato plurimisque exemplis confirmato prosequi statuit. Quandoquidem vero ex indole nationis Polonicae, per specimina injustitiae Domui Brandenburgicae tam in negotio Elbingensi, quam alias illatae, in antecessum cum certitudine quadam, præcipue autem ex dissensionibus internis, quibus jam tota natio distinguitur, colligi potest, se via negotiationum ordinaria iustitiam numquam obtenturum esse; facere non potuit, quin unum illud, quod restabat medium eligeret, iustitiam Sibi ipsi paraturus, possessionem ejus, quod Ipsi de jure debetur, occuparet, quem in finem Ipsi cum aliis Principibus, qui in eodem casu versantur, convenit. Eundem in finem Pomerelliam excepta civitate Gedano, et Polonia Majoris partem cis Netzam amnem sitam, ut regiones, quarum altera ad Ducatum Pomeraniae, altera ad Novam Marchiam justo titulo pertinet, occupari jussit. Et quemadmodum Rex nec prætensionibus suis, in amplissimos tractus, per Polonos a Silesia avulsos, nec juribus suis in civitatem Gedanensem, quæ alias absque ulla dubitatione ad Pomerelliam spectat, et nemine contradicente longe majoris pretii est, quam reliqua pars sterilis hujus et desertæ provincie, inhæret; quum restitutionem ususfructus ex his territoriis, quo Domui Brandenburgicae a tot sæculis carendum fuit, poscere possit; et quum demum prætensionem pecuniariam magnam et liquidam in territorium Elbingense habeat: Regia Sua Majestas ut aliquam indemnitatem sacrificiis tanti pretii quodammodo respondentem consequatur, reliquas Prussiae Polonicae partes speciatim Palatinatum

E 2

Mariæ.



*Mariæburgensem* cum urbe *Elbinga* et Episcopatu *Varmiensi*, tractum *Michalovensem* et Palatinatum *Culensem* cum Episcopatu ejusdem nominis, excepta urbe Thorunio, in potestatem suam redigit.

Confidimus, omnes, qui nullo partium studio teneantur, quique præjudicatis opinionibus se distingi non patiuntur, si ea omnia, quæ in hac Expositione adduximus, ad rectæ rationis trutinam ponderaverint, in hoc Regis molimine nihil omnino deprehensuros esse, nisi quod Justitiæ, Juri Naturæ et communi Gentium mori imo ipsi Polonorum exemplo responderet, utpote qui via facti singulos hosce tractus occuparunt. Speramus quoque fore, ut Natio Polona tandem præjudicia sua mittat, injustitiam Domini Brandenburgicæ illatam agnoscat, atque per justam et æquam compositionem ad tanta damna reparanda pronam se ferat, cui Serenissimus Rex suo loco manus lubentissime porriget, quippe qui amicitiam et bonam viciniam cum illustri hac Natione colere, et cum inclita Republica in felici unione vivere ex animo cupit.



DOCV-

**DOCVMENTA.**


---

No. I. Diploma Investitura Friderici Secundi Imperatoris Johanni et Ottoni Marchionibus Brandenburgensibus, super Marchia Brandenburgensi et Ducatu Pomeraniae anno 1231. datum, cum Confirmatione Adolphi Nassavici Romanorum Regis de anno 1295. Ad Orig.

**A**dolfus Dei Gracia Romanorum Rex semper Augustus. Vniverfis Imperii Romani fidelibus imperpetuum. In Excellenti folio Majestatis Regie ordinacione divina feliciter constituti, nostre confederationis oculos, longe lateque diffundimus, ad prospiciendum, universis subiectis Imperii meliora & ad occurendum dispendiis eorundem, verum precipua nos cura sollicitat, qualiter principum nostrorum, quibus tanquam immobilibus columpnis Imperii, toralis Regia machina sustentatur, firmum statum firmius solidemus et amplum honorem largius ampliemur. Nouerit igitur prefens etas et successura potteritas, quod privilegium quoddam dive recordacionis Domini Friderici Secundi Romanorum Imperatoris Jerusalem et Sycilie Regis nostri Antecessoris, cum bulla aurea roboratum, vidimus et audivimus, in hec Verba. In nomine Sancte et individue Trinitatis. Fridericus Secundus divina favente clemencia Romanorum Imperator, semper Augustus, Jerusalem et Sycilie Rex. Requirit imperii celstudo et dignitas exigit principalis, ut favore Cesareo vota principum compleantur, quo rum merita transfundi debent liberaliter in heredes qui non minus patre fidei quam virtutis creduntur effici successores, defectumque parentum circa imperii decus effectu devocationis complere. Inde est igitur. Quod prefertis scripti serie notum fieri volumus Imper.

rii fidelibus, tam modernis, quam posteris universis, quod dilectus  
 princeps noster Johannes Marchio de Brandenburg, nostro culmini  
 supplicavit, quatinus Marchiam Brandenburgensem cum omni ho-  
 nore et pertinencis suis, et alia feoda que quondam Albertus Marchio  
 Brandenburgensis pater ejus de manu nostra et Imperii possidebat,  
 quemadmodum eidem Alberto genitori suo et heredibus ejus privi-  
 legium liberalitatis nostre inde concessimus, una cum *Ducatu Pome-  
 ranie*, eidem Johanni et Ottoni fratri suo, si ipsum Johannem premori  
 contigerit, ac heredibus utriusque, concedere & confirmare de nostre  
 celsitudinis gratia dignaremur. Nos autem attentes devocationem  
 & fidem, dicti quondam Alberti Marchionis patris eorum, quam ad  
 nostram & Imperii celsitudinem habuit & quam devote nobis &  
 Imperio seruierit quoad vixit. Sperantes insuper ab eisdem Johanne  
 & Ottone fratribus, tanquam paterne successoribus fidei, seruitia re-  
 cipere graciora, predictam Marchiam Brandenburgensem cum omni  
 honore preventibus & juribus ad eam spectantibus, nec non & alia  
 feoda, que nominatus Marchio pater eorum a nobis & imperio no-  
 scitur tenuisse. sicut olim eo superstite sibi & heredibus suis conce-  
 ssimus, ita prenominatis Johanni Marchioni & Ottoni fratri ejus.  
 si premori contigerit eundem Johannem, ac heredibus eorum ex cer-  
 ta scientia, juxta consuetudinem imperii concedimus & perpetuo con-  
 firmamus: De superabundanciori gratia nostra, confirmantes eis-  
 dem *Ducatum Pomeranie*, prout dictus quondam pater & predecesso-  
 res eorum noscuntur a nostris predecessорibus tenuisse. Presentis quo-  
 que Privilegii auctoritate mandamus, quatinus nulla persona subli-  
 mis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, dictum Johannem Mar-  
 chionem & Ottone fratrem ejus ac eorum heredes contra conce-  
 ssionis & confirmationis nostre paginam molestare presumat. Quod  
 qui presumperit, penam quingentiarum librarum auri se compositarum  
 agnoscat, medietatem curie nostre & reliquam injuriam patienti.  
 Ad hujus itaque concessionis & confirmationis nostre memoriam  
 & robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri & bulla aurea,  
 typario nostre Majestatis impressa, jussimus communiri. Hujus au-  
 tem

tem rei testes sunt. B. patriarcha Aquileiensis. Magdeburgensis. Ravennensis. & B. Panormitanus. Archiepiscopi. C. Babembergensis. S. Ratisponensis. Imperialis aule Cancellarius. Wormaciensis. Osenburghensis. Regius. Ymolenensis. Brixienensis. Episcopi. A. Dux Saxoniae. O. Dux Meranie. B. Dux Karinthie. Lantgravius Thuringie. Comes de Waldeberg. L. Lantgravius de Luckenberg. A. Comes de Swerburg. H. Comes de Ortemburg. L. Comes de Halremunt. M. Comes de Mulburg. G. de Arnstein Sacri Imperii in Italia legatus. G. Dapifer. C. pincerna de Clingemburg. Th. Comes Ascerrensis. M. Marchio Lanza. Comes de Loretho. Richardus Camerarius & alii quamplures. Signum Domini Friburgia inuitissimi toris. Semper Auguste Regis. Acta sunt incarnationis mille XXXI. mense De Imperante Domino gratia, inuitissimo ratore. Semper Auguste Rege. Anno Incarnationis Regni Jerusalem septimo. Regni vero Syciliae XXX. III. feliciter amen. Ego Syfridus Ratisponensis episcopus. Imperialis aule Cancellarius. vice domini Colonensis Archiepiscopi tocius Italie Archicancellarii recognovi. Datum in civitate Ravenne anno. mense & indictione prescriptis.

Nos itaque Adolphus Romanorum Rex predictus, Illustrium principum nostrorum Ottonis & Cvnradi fratrum Marchionum Brandenburgium, filiorum quondam. Johannis Marchionis Brandenburgensis, devotis precibus favorabiliter inclinati. Universa & singula, in supra scripto privilegio contenta pariter & conscripta, approbamus, ratificamus, innovamus, & presentis scripti patrocinio, confirmamus. Nulli ergo hominum, liceat hanc paginam nostre approbationis, ratificationis, innovationis & confirmationis infringere, vel ei auctu temerario

con-


contraire. sicut grauem nostre Majestatis indignacionem & offensam voluerit evitare. In cuius rei testimonium, prefens scriptum Majestatis nostre figillo jussimus communiri. Testes hujus rei sunt Ar. Babembergenfis. Heinr. Brixienfis. Heinr. Merseburgenfis Episcopi. Illustres Al. Lantgravius Thuringie & Otto Comes de Anhalt; Principes. Speciales Viri, Eberhardus de Catzenellenbogen. Gerhardus de Diecz. Heinricus de Nassowe. Johannes de Seyne & Eberhardus de Spizzenberg Comites. Nobiles Viri. Gerlacus de Bruberg. Ulrichus de Hanowe. Gotfridus de Merenburg. H. de Ifenburg. Fridericus de Biegen & alii quam plures. Datum in Mylhufen VI<sup>o</sup>. Idus Januarii Indictione VIII. anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto. regni vero nostri anno tertio.

No. II. Charta Miftvini II. Duci Pomeraniæ, qua Barnimo Duci Stettinensi consanguineo suo successionem omnium terrarum suarum post mortem suam spondet, anno 1264.

**M**iftwinus Dei gratia Dux Scwecensis. Vniuersis presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Quoniam vniuersi hominum actus una cum tempore in quo geruntur defluunt tranfeuntes in obliuionem. necessarium arbitramur ut ea que robur firmitatis fortiri debent scriptis autenticis muniantur adeo ut nullius occasione dubietatis vel calumpniae processu temporis infringi valeant vel mutari. Igitur notum esse volumus tam presentibus quam posteris quod nos de mera nostra liberalitate dilecto nostro consanguineo domino Barnim illustri Scwecorum Duci ac suis heredibus contulimus et donavimus totam terram nostram Scwecensem cum omnibus terminis juribus aliisque suis attinentiis possidendam in omnibus et per omnia eo iure quo nos ipsam tenuimus ac possedimus ejusdem terre possessione nobis quam diu vixerimus tantummodo reservata.

Con-

Conferimus etiam ei suisque heredibus et donamus terras castra civitates villas et vniuersa dominia que ad nos deuolui poterunt vel deuoluentur a patre nostro & a fratre cum omni jure post obitum nostrum libere possidenda. In cujus rei testimonium presentem paginam inde confectam eidem dedimus nostri sigilli munimine roboratam. Testes hujus nostre donationis et collationis sunt: Wiardus abbas Vznomensis. Otto de Zcwe capellanus noster. Arnoldus rector parvorum in Stettin; Item Johannes Kulo. Brezpravus. Gustizlaus, et alii quamplures quorum hic nomina non sunt scripta. Actum Camin et datum ibidem anno domini M°.CC°.LXIII°. XII Kalendas Octobris.



No. III. Confirmatio possessionum monasterii Olivensis et  
Zarnovicensis in Pomerellia, per Bogislauum IV. Du-  
cem Slaviae, 1291.

In Nomine Domini Amen. Nos Bogislaus Dei gracia Dux  
Slavorum & Cassubie. Universis Christi fidelibus prefens scriptum  
audituris vel visuris in perpetuum. Ne ea que aguntur nostris tem-  
poribus cum lapsum temporis a memoria hominum defluant malignan-  
ciumque calumpnia infesterum depraventur. utile et necessarium esse  
dignoscitur ut fide dignorum hominum et scripture testimonio per-  
rennentur. Nouerint igitur presentes & posteri universi. Quod  
nos de Confilio Dilectorum fratrum Nostrorum *Barnym & Ottonis*  
ad laudem & honorem omnipotentis Dei & gloriose matris ejus Ma-  
rie Virginis augmentandum monasterium quod Oliva dicitur Cister-  
cienis ordinis situm in Pomerania cum fratribus inibi Deo famu-  
lantibus sub alas nostre protectionis suscipimus confirmando eis eo-  
rumque successoribus omnes hereditates villas seu possessiones quas  
idem monasterium ex donatione vel confirmatione Illustris principis

F

Do-



Domini Myßwigii dilecti cognati nostri Duciis Pomeranie ac progenitorum suorum longo tempore iusto titulo pacifice possederunt & possident in presenti. In quibus subscriptas hereditates propriis noninibus digoum duximus exprimendas. In primis ipsum claustrum Olivam cum grangia adacente. villas. Prsimore. Podole. Granfow. Sterchow. Cincimiz. Prusentino & grangiam Bargnewitz. In super villas ipsis pro terra Gemive in restaurum datas. quarum nomina sunt hec. Bisskyr. Choyno & parvum Choyno. Slomno. Banino. Czegumo. Niwadove. Tuchumme cum omni stagno adjacente parvo & magno quod Warzia dicitur in omni littore excepta parte que spectat ad villam Domini Episcopi. Beragewicz. Smolino. Quassin. Wissoka. Brudvino. Soppot. dimidiata quoque partem terre Oxinie cum omniaibus terminis & utilitatibus suis & libera pescatione in mari. Rumnam cuius termini protenduntur versus Radam ad querum circa viam publicam signaram, & sic descendunt ad locum ubi Ruma & Rada confluunt. Grangiam Starin cum villa ejusdem nominis & Mefflin. Grangiam etiam Radestowe. Raikowe. Scowarnichowe. Hostricza. Plavonove & molendino in Raduna. Wasino & Zirinuina. molendina quoque in Stricze constructa & in posterum confruenda. Locum etiam molendini circa villam Brisze cum terminis suis, & prefatum fluuium Stryce cum utroque littore a lacu Colpin unde scaturit descendendo in Wislam, & ab illo loco per totam Wislam usque in mare liberam pescationem capiendo rumbos vel efoces vel cuiuscunq; generis pisces quibuslibet retibus vel instrumentis. a portu vero Wisle versus occidentem totum littus maris cum omni utilitate & libertate usque ad extremum littus rivuli qui Swelina nuncupatur. Preterea unam nauem liberam in falso & recenti mari ad capiendum allec rumbos vel alios quoscunq; pisces. Insuper decimam noctem de clausura in Rada absque omni contradictione pisces libere perpetuo percipiendi prefatis fratribus de Oliva & eorum successoribus cum omnibus bonis supradictis libertate perpetua confirmamus prout & donamus. Insuper donationem predilecti patris nostri Domini Barnym quondam Ducis Slavorum & Cassubie in annua pensione scilicet octo marcarum de moneta ciuitatis.

¤ ¤ ¤

tatis nostre Stetin & uno thugurio Salis in Colberghe sepedicto monasterio Olive fratrum approbanus & condonando jure perpetuo liberaliter confirmamus. Claustrum etiam dominarum Cisterciensis ordinis nomine Sarnowicz quod pertinet in Oliuam sub nostram protectionem suscipimus confirmantes illis possessiones & Villas subscriptas. Wircusino. Cartusino. Liubeko. Velargow & Swetin, totum quoque stagnum quod Pesnicza nominatur & fluuium ejusdem nominis in utroque littore cum clausura piscium & pratis circumiacentibus usque in mare & liberam piscationem ibidem. unam quoque nauem liberam allec vel rumbos aut ceteros pisces libere capiendi. Universas itaque & singulas possessiones & villas prenominatas cum omnibus terminis & granicis & libertatibus suis sicut in privilegiis prefati domini Mestwigii & aliorum progenitorum suorum exprefius continentur & cum omnibus utilitatibus que nunc in ipsis sunt vel quomodolibet haberi poterunt in futuro in molendinis tabernis. pratis. pycationibus. aurifodinis. argentifodinis & salinis. vel cuiuscunque fuerit utilitatis cum omni judicio majori & minori capitali videlicet & manuali sepedictis fratribus de Oliva & eorum in evum successoribus libertate perpetua confirmamus. In hujus igitur confirmationis perhennem memoriam presentem paginam sigillo nostro & sigillo Mestwigii Ducis Pomeranie qui huic ordinationi presentialiter interfuit cum subscriptione testium fecimus roborari. Testes sunt Dominus Wichardus Abbas de Buchouia. Dominus Nicolaus Draco mariscalcus. Reymberus de Wacholt. Johannes filius suis milites. Gobelo de Stetin miles. Adam de Wisskow miles. Swenz palatinus Danensis & Stolpenensis. Mattheus Subcamerarius in Slawen. Albertus Signifer de Danzic & alii quamplurimi fide digni. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XC<sup>o</sup>. Concurrente VII. indictione quarta.



No. IV. Transactio Waldemari et Johannis Marchionum  
Brandenburgensium de decimis terræ sitæ inter Notes-  
zam, Dravam et Kuddam, 1312.

**N**ouerint vnuersi presentes literas inspecturi, quod Nos Walde-  
mar et Johannes Dei gracia de Brandenborg et Lulzacz Mar-  
chiones, accedente nostrarorum Comitum et Baronum consilio et assensu,  
cum Venerabili in Cripto patre domino Andrea Dei gracia Episcopo et  
suo Capitulo Posnaniensi super decimis circa nouum Kalifij, Tempel-  
borch, Arnskrone, Valckenborch, Filene et omnibus et singulis bo-  
nis inter Noteszam et Drauam et Noteszam item et Kuddam fluviis  
situatis jam locatis pariter et locandis, imo de omnibus aliis bonis  
nostris dominii sub Posnaniensi dioecesi constitutis existentibusque bo-  
nis super quibus lis inter Posnaniensem et Caminensem ecclesie venti-  
latur et bonis aliis omnibus sub Dominio Marchionis Johannis specia-  
liter constitutis Domino Episcopo et suo Capitulo jure dioecesano de-  
bitis, emptionem fecimus et contractum. Videlicet ut Dominus  
Episcopus et suum capitulum cum suis successoribus in Arnswald Ca-  
minensis dioecesis de annua contributione perpetuam quinquaginta  
Marcas Brandenburgensis ponderis et monete in diebus beate Wal-  
purg viginti quinque et beati Martini Episcopi vingtí quinque annis  
singulis in perpetuum percipiante inconcussile contradicendi occasione  
procul mota. Habebunt etiam dicti Episcopus et Capitulum et eo-  
rum successores pro dictis decimis ducentos mansos Teutonicos non-  
dum cultos, in dicto territorio inter dictos fluviis situato, cum decimis  
pleno jure nobis debito libere et pacifice jure proprietatis perpetuo  
possidendo, ita quod in bonis predictis nullum nobis jus et nostris  
successoribus penitus reseruamus, nullo modo illas exactiones tallias

aut

aut precarias aut aliquas angarias et perangarias in memoratis bonis  
ullo vñquam tempore faciemus aut ab aliis fieri patiemur, sed bona  
ista tuebimur contra quemlibet violentum. Ne autem super premis-  
so contraatu per nos rite facto cuiquam hominum in posterum possit  
dubium suboriri, presentem paginam desuper conscribi jussimus et no-  
strorum sigillorum munimine communiri, presentibus nostris fidelibus,  
scilicet domino Gunthero de Keuerenberch Comite, nobili Conrado  
de Veden. Jereslao de Grochen militibus, Stockelmo nostre curie  
Prothonotario aliisque pluribus fide decoratis. Actum et datum in  
Buchsztendorp anno domini M°.CCC°.XII . in die beati Johannis  
Apostoli et Evangeliste.

No. V. Diploma Uladislai Regis Poloniae, quo Ordini equi-  
tum Teutonicorum promittit limites inter Polonię et  
Novam Marchiam tales observare, quales Ordo eos repe-  
rit tempore acquisitionis Novae Marchiae, anno 1405.

**W**ladislaus Dei gracia Rex Polonie, Litwanieque Princeps su-  
perius et heres Russie. Significamus quibus expedit uni-  
versis; quod anno preterito in conventione in Feste Pentecostes in-  
ter nos et consiliarios nostros ex una; et venerabilem ac magnificum  
dominum Conradow de Jungingen, Magistrum Generalem Ordinis  
beate Marie de Domo Theutonica, Consiliumque suum parte ex al-  
tera, sollempniter celebrata, Inter ceteros articulos et tractatus ibi-  
dem tunc habitos, conclusos et conscriptos, huius duo Articuli subse-  
quentes et subscripti literis inseri debuerunt et sigillorum munimine  
roborari, qui tamen ex negligentia obmissi sunt literis eisdem in primi  
et in numero ceterorum articulorum collocari. Ne igitur tam solemp-  
niter tractata et pactata in aliquo deficiant aut etiam minuantur,  
eosdem articulos presentibus decrevimus inserendos; Quorum pri-  
mus est iste, de observatione Grenicierum, limitum et finium inter-



terras nostras Majoris Polonie et Nouemarchie, quas Grenicies nos  
observeare promittimus et spondemus et pro ratis habere, prout ipsas  
Dnu<sup>s</sup> Magister et Ordo ipsius tempore receptionis eiusdem terre  
Novemarchie reperit, Et sicut tempore tenebatur ab antiquo. Se-  
cundus Articulus fuit iste; Quod si vñquam contigerit propter li-  
mites et Grenicies terrarum quarumcunque Regni Polonie et ordi-  
nis predicti aliquas difficultates fuscitari, quod predictae difficultates  
per amicabilem compositionem debent complanari et sopiri. Ha-  
rum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio literarum.  
Datum in Thorum feria quarta infra octavas Pentecostes. An-  
no Domini millesimo quadragesimo quinto.

---

No. VI. Charta Ulrici de Oest, Domini de Driesen, qua  
profitetur, castrum suum Driesen non ad Poloniā sed  
ad Novam Marchiam perrinere, anno 1408.

Ich Ulrich von der Oest Here zu Drysden Ritter Thu kund vnde of-  
finbar vnde bekenne dem Allerdurchluchten vnde ouch dem Hoch-  
wirdigen Grosmechtigen meynen Allirgnedigsten Fursten vnde Heren  
Romischen Konighe, den Korfursten funderlichen allen anderen Fursten  
vnde Heren geistlich vnde weltlich, vnde nemlich alle denyen den die-  
ser Brief vorbracht wirt, welcherleye wezens adir wirdigkeit sie syn.  
Das meyne Voreldern Ir Lehn des Hwes Drysden von Aldersher ye  
empfangen haben von Meynen Allirgnedigsten Here Marrgraffe zu  
Brandenburg vnde dornach von Keisernen Keiserskindern rechten Heren  
der Marcke zu Brandenburg als das noch wol mit briffen ist zu bewei-  
sen. Vnde Ich Ulrich vorbenump der gleich selbir das Lehn von mey-  
nen Allirgnedigsten Heren Konighe zu Hungern der nach leibet vnde  
lebet, empfangen habe, der mich ouch hot lassen weisen mit andern synen  
getruwen der Nuwenmarck dorzu wir gewerle gehort haben an den Er-  
wirdigen Heren Homeister dewsches Ordens vnde an feynen Orden, deme  
Ich ouch mit rechter Wissenshaft vnde wolbedachtem freyem willen ge-  
schwe-

Sworen vnde geholdet habe als ich von rechte schuldig vnde pflichtig war,  
 off die czeit do meyn vorbenumpfir Here Konig czu Hungern vorkauft  
 hatte dem vorgenantem meynem Heren Homeistere die selbige Nuwe-  
 marcke, vnd ab Ingerley bedassunge adir misschegeliche elage ymandes  
 vorbracht wurde von deme Heren Konighe czu Polan adir seyner an-  
 walden obir mich umb eczliche vorschribunge die Ich gethan habe deme  
 Heren Konighe vnde seyme Reiche czu Polan des Ich dach vnmechtig  
 was, sient eyn dienstpflichtiger seyner rechten Heren Lehnrecht nicht  
 mechtig ist czu entpfremden, So bitt Ich mit aller Demut, das mir das  
 nicht vorkart noch czu Vngutten gewant werde, was Ich doran gethon  
 habe das ist geschen im meyner unwissenheit. Wend Ich der Jore so  
 Jung was, das Ich nicht wuste noch irkante woroff es gink, adir worcz  
 es mochte kommen onde wart auch also an mir gesucht, das alle ding ge-  
 schoghen aue wiffen vnde willen der meynen, vnde das die Vorschreibun-  
 ge in meyner vnyrkentlichen iogund vnde ante alle der Meynen wiffen  
 vnde Willen geschehen ist, vnde ouch das das Lehn des Hwes Drysden  
 von alders heer ye gehort habe vnde noch gehore czu deme Heren der  
 Nuwenmarche vnde nyemanders. Dorcu will Ich thun alles das mir do-  
 bey geborer czu thuen mit rechte. Des czu ewighem gedechnisse vnde  
 ganzter Sicherheit Hab ich Ulrich offtgehandt meyn Ingezel mit Rech-  
 ter Wissenschaft an dessen briß lassen hengen der do gegeben ist czu Sol-  
 din in der Nuwenmarch am nechsten Sontage nach Purificationis Marie,  
 In deme Virczenhundersten vnde dornehest Im achten Jore.





Nr. 1929.  
40

ULB Halle  
007 769 229

3




b18

MC



**Farbkarte #13**



XPOSITIO IVRIVM  
SACRAE MAIESTATIS  
**GIS BORVSSIAE**  
IN DVCATVM  
**MERELLIAE**  
ET COMPLVRES ALIOS TRACTVS  
**GNI POLONIAE.**  
CVM DOCVMENTIS.



BEROLINI,  
GEORGII IACOBI DECKERI, TYPOGRAPHI REGII.  
MDCCCLXXII.